

1582 de anno instaurando, quod diù agitaverat, negotium; cui ab Augusto usque ad hæc tempora nemo manum admovebat. Eo vero in primis permotus Gregorius ferebatur, ut celebrandi paschatis (quod supremum christianæ religionis festum est) priscam rationem restitueret, qua ex Niceni concilii legibus post quartam decimam martii mensis lunam dominico primo die a plenilunio, ab elapso æquinoctio, peragendum erat. Cum vero æquinoctium, ob motuum solis, lunæque varietatem, procedente tempore, in idus martias incidisset, ex Concilii præscripto paschatis dies celebrari non poterat. Ad eam igitur rem animum Gregorius adjecit, negotioque ab astronomica scientiæ peritissimis in omnibus Europæ gymnasiis examinari iussit, consilium Principibus communicavit. Senatus literis a Gregorio requisitus, in Patavino gymnasio ab iis, qui mathematicas profitebantur, inter quos Josephus Moletius eminebat, rem diligentissime examinari, veterumque ac recentiorum scriptorum monumentis evolutis, discuti iussit. Tandem Aloysii Lili sententiam Pontifex amplexus, statuit, ut ad solis lunæque motus æquandos, dies decem, qui a concilii Niceni tempore ad hanc usque tempestatem effluxerant, demerentur, singulis quinque annis dies intercalaretur, isque annus bissextilis foret; quadrigentorum vero annorum elapso spatio, dies alter adimeretur. Initium octobri mense factum: nam post quartum nonas, sacrum divo Francisco diem, reliquis nonis idibusque prætermittis, idus subsecuti sunt. Eam Gregorii constitutionem promulgandam ac servandam in suis quisque ditionibus omnes fere Europæ Principes iussere. Angli, Germani plerique, Græci quoque minime, sunt assensu. Id cum Patres animadvertissent, ne qua in insulis ditionibusque, quas in oriente possident, dissidia orirentur, cum Gregorio egere, ut ab ea lege Cretam, Zacynthum, Cephalenem, Corcyram, aliasque insulas Reipublicæ eximere liceret, idque facillime impetratum est.

*Gregorii
Pontificis
decretum
de anno in-
staurando.*

*Orientis Ve-
netæ ditio-
nes ab anni
instaurati
decreto ex-
emptæ.*